

## 21. Procès de sorcellerie intenté contre François Marguet, de Dommartin 1498 octobre 25 – novembre 6. Château de Dommartin

**Résumé :** François Marguet, de Dommartin, détenu sur la plainte d'un de ses paroissiens, comparait le 25 octobre 1498 devant le vice-inquisiteur François Fossaud, au château de Dommartin. Au cours de cette première audience, l'inculpé nie être hérétique et avoir été mêlé à un crime d'hérésie. Le lendemain, le vice-inquisiteur ordonne au notaire de produire une partie de l'enquête secrète menée quelques semaines auparavant par le Chapitre de Lausanne, seigneurs temporels de Dommartin, contenant les témoignages secrets de quinze hommes de la paroisse de Dommartin, y compris le neveu de l'inculpé, le châtelain et le chapelain de la paroisse. Ce même jour, l'inculpé est à nouveau interrogé pour répondre des informations récoltées, mais après la troisième monition, il refuse de passer aux aveux. Le 27 octobre, suite à une quatrième monition supplémentaire, Marguet avoue et dénonce cinq personnes (2 hommes et 3 femmes), dont l'inculpée Isabelle Perat. Marguet ratifie ses aveux le 5 novembre. Le lendemain, il ratifie et complète ses aveux à deux reprises, tout en ajoutant les noms de six autres complices (5 hommes et une femme), incluant ceux des inculpés Marguerite Diserens et Pierre Menetrey. Le même jour le procès est clos. Les actes s'arrêtent ici, mais nous savons que Marguet a finalement été banni par le Chapitre de Lausanne, seigneur temporel de Dommartin.

**Commentaires :** Les procès de François Marguet (SDS VD D/1 21 : ACV, Ac 29, p. 365–396), Isabelle Perat (SDS VD D/1 22 : ACV, Ac 29, p. 399–414), Marguerite Diserens (SDS VD D/1 23 : ACV, Ac 29, p. 349–364) et Pierre des Sauges alias Menetrey (SDS VD D/1 24 : ACV, Ac 29, p. 415–438) ont tous été intentés en 1498 au château de Dommartin et présidés par le vice-inquisiteur François Fossaud. Ils sont les témoins d'une nouvelle chasse aux sorciers menée à Dommartin, après la première vague soixante ans auparavant.

Le procès de François Marguet occupe les pages 365 à 396 du registre ACV, Ac 29 ; les pages 388 à 395 ont été laissées en blanc. L'enquête secrète (p. 367–372) et le procès-verbal (p. 373–388) sont rédigés par le notaire André Thovacin et authentifiés à l'aide de son signet, tout comme les trois autres procès du dossier Dommartin 1498. Il est aussi l'auteur des titres et des notes marginales ajoutées tout au long des procès. Le dos du cahier (p. 396) contient une indication d'une autre main, plus tardive, qui atteste l'existence d'une sorte de casier aux archives du Chapitre cathédral contenant des documents concernant le village ou la seigneurie de Dommartin : Processus Dompni Martini. Processus contra Franciscum Marguet super crimine heresis. Registratus. Ponantur cum litteris Dompni Martini. 1498. Le dos du cahier contient aussi une autre annotation de type comptable d'une main inconnue.

[Note d'archives dans la marge de gauche par une main du XX<sup>e</sup> siècle :] 1498

### Processus Francisci Marguet de Dompno Martino cum informacionibus in ipsum secreta sumptis

/ [p. 366] / [p. 367]

[26 octobre 1498]

Informacio secreta sumpta et testes examinati super crimine heresis per dominum viceinquirem contra Franciscum Marguet detentum ad causam fidei, die vicesima sexta octobris anno Domini m<sup>o</sup> iii<sup>c</sup> nonagesimo octavo. [26.10.1498]

Et primo, Nycolletus de Mediavilla<sup>a</sup> dou Villar Tyercellyn parrochie Dompni Martini, etatis quinquaginta annorum vel circa, testis productus parte denuncianti. Interrogatus etc. et secreta examinatus, dixit et<sup>b</sup> deponit<sup>1</sup> se tantum scire

quod sunt circa sex [1492], septem [1491] aut octo anni proxime lapsi [1498], sic quod dici audivit communiter gentibus quod ipse Marguet erat hereticus et quod Glaudius Marguet eius nepos sibi dixit « heretice ». Aliud nescit.

Stephanus Fauconet de Sugniens, etatis quadraginta annorum vel circa, testis etc. juratus, dixit et deponit se scire quod, sunt bene circa decem anni [1488], communiter<sup>c</sup> dicunt gentes quod ipse Franciscus Marguet erat hereticus. Et ulterius dixit quod sunt circa sex anni [1492] quod certi pueri, videlicet pastores, viderunt cadere a nubibus cum grela prope Sugniens in quadam possessione sua sita *En Perrex*, <sup>d-</sup>quendam hominem<sup>-d</sup>; qui pueri dixerunt quod videbatur eis quod esset quidam bonus homo de Dompno Martino, dictus Marguet. Aliud nescit.

Item Johannes Sovajat parrochie Dompni Martini, etatis triginta annorum vel circa, testis juratus, deponit quod sunt circa decem anni [1488] quod illi de Dompno Martino ceperant bestias communes Villarii Tiercellyn; et quando ipse testis venit ad villam Dompni Martini quesitum ipsas bestias, et ipse testis dixit isti Francisco Marguet: « Vos gubernatis bestias nostras ». Et tunc ipse Marguet respondit sibi: « Vos citius habebitis pelles ». Et in crastinum ipse testis reperit pulcriorem vacam quam haberet mortuam, quare suspicionem habuit super eum. / [p. 368]

Petrus Udry Abbi de Sugniens, etatis triginta annorum vel circa, <sup>e</sup> testis juratus, deponit quod sunt circa XX<sup>ti</sup> anni [1478] quod ipse dici audierit communiter quod ipse Marguet hereticus erat, et quod vox et fama etc. Item quod ipse pariter dici audivit quod ipse Marguet cecidit cum tempore, ut precedens.

Petrus filius Petri Abby Jacod de Sugniens, testis etatis XL annorum etc., dixit de voce et fama ut precedens, et quod sunt circa sex [1492] aut septem anni [1491] quod Johanneta, eius filia<sup>f</sup> quondam, semel vidit cadere cum tempore et tempestate dictum Marguet in loco predicto, ut precedens.

Petrus Franciget de Naz, etatis quadraginta annorum, testis juratus, dixit et deponit quod sunt circa viginti quinque anni [1473] quod ipse testis vidit in ecclesia Dompni Martini quod quidam Petrus Romanel dixit dicto Marguet: « *Franczey Marguet, je tey dit voude; je ne scay se tu l'ez. Que qui soyt, je te crie mersy!* »<sup>2</sup> etc. De voce et fama ut precedens.

Mermetus Mongouz, habitator de Sugniens, etatis sexaginta annorum, testis juratus, deponit quod sunt circa viginti anni [1478] quod ipse dici audivit quod ipse erat hereticus, et quod sunt circa sex [1492] aut septem anni vel circa [1491], ipso teste existente in Dompno Martino, quod tempus erat iratum tempestate, quod vidit dictum Marguet in quadam possessione Gerardi dou For vocata Subtus ecclesiam<sup>3</sup>, sicut illum qui cecidit a nubibus; tamen non bene vidit. De voce et face et fama ut precedens.

Nycodus Magan, habitator Dompni Martini, etatis triginta annorum vel circa, testis juratus, deponit de fama ut precedens, a tempore quo stetit in ipso loco,

ut precedens<sup>g</sup>. Et ulterius deponit a festo Pache usque in festo Beati Johannis [1498], ipse habuit debatum cum dicto Marguet versus Reysiam de certis duobus billionis nemorum, usque ad verba; deinde, verbis dulcibus, adduxerat<sup>h</sup> eundem testem ad domum cure ipsius loci; et ibidem, mensa posita et cibo, dictus Marguet exivit domum, deinde retrocessit ad domum, et deinde biberunt et comederunt<sup>i</sup> in signum pacis. Et recedendo ipse / [p. 369] testis fuit graviter infirmus stomaco et ventre ac corde, sic quod timuit se mori. Et tunc posuit digitum in ore, sic quod fecit vomitum de hiis que comederat; deinde sanatus est. Tamen <suspitabat> ipsum Marguet quod sibi dedisset. Aliud nescit.

Petrus Pillet alias Grant dicti loci, etatis XL annorum vel circa, testis juratus, dixit et deponit de voce et fama a decem annis citra [1488], ut precedens. Et dici audivit quod cecidit quodam semel cum tempestate in Dompno Martino ut supra. Aliud nescit.

Johannes Vincent dicti loci, etatis XL annorum vel circa, testis juratus, deponit quod sunt circa viginti quinque aut sex anni [1472] quod ipse audivit dici communiter quod erat hereticus, et quodam semel erat presens isto anno [1498] tempore falcacionum loco dicto Eis Oches, dicto Marguet et Glaudio eius nepote habentibus<sup>j</sup> debatum de quadam possessione, ecce quod inter cetera audiverit quod dictus Glaudius dixit eius patruo: « *Herejoz mauves!* »<sup>4</sup> etc. Item ulterius deponit quod sunt circa viginti quinque anni [1473] quod dictus Franciscus et Petrus Romanel fuerunt detenti Lausanne in carceribus, eo quod dictus Petrus vocavit dictum Franciscum hereticum; qui ambo <cuncordaverunt> simul.

Glaudius Doucen dicti loci Dompni Martini, etatis triginta annorum, testis juratus, dixit et deponit se tantum scire, videlicet de voce et fama ut precedens, a pluribus, quando habebant debatum cum eo, quod sibi improperebant quod ipsi non ceciderant de aere ut ipse. Item deponit quod sunt circa tres anni [1496] quod Glaudius Marguet<sup>k</sup>, nepos eiusdem inquisiti, fecerat partagia sua cum eodem inquisito, ecce quod idem Glaudius Marguet venit se retractum ad domum ipsius testis<sup>l</sup>. Ecce quod ipse inquisitus<sup>m</sup> dolebat eo quod retrahebat dictum Glaudium, ivit ad domum ipsius testis et dixit Glaude uxori ipsius testis: « Vos retrahitis nepotem meum », ipsa existente Glauda, et dabat sibi verba minatoria<sup>n</sup>; et tunc ipsa sibi dixit: « Caveatis quid dicetis; si / [p. 370] malum veniret michi, vos peniteret ». Tunc ipse inquisitus perseverando dixit: « Per Deum vos penitebit! ». Et postea, infra quindecim dies post vel circa, mortue fuerunt dicto testi septem bestie bovinales, tam magne quam parve; propter quod ipse testis [habet]<sup>o</sup> malam suspicionem contra ipsum inquisitum, et ista verba sibi fuerunt relata per dictam uxorem suam. Aliud nescit.

Glaudius Marguet, nepos dicti Francisci, etatis triginta annorum vel circa, memorie vero viginti, testis juratus, dixit et deponit quod sunt circa tres anni [1496] quod ipsi faciebant<sup>p</sup> partagia sua et habuerunt plura debata et multa verba. Deinde isto anno [1498] tempore falcacionum ipsis existentibus in prato

*Des Oches* habentes debatum de ipso prato, ecce quod post plura verba inter cetera ipse testis dixit eidem Francisco: «*Ley sy met luz myen, herejuz!*»<sup>5</sup> etc. Deinde dixit quod sepius familia dicti inquisiti dixerit familie ipsius testis, et etiam ipsemet inquisitus dixit cuidam carpentatori vocato Glaudio<sup>q</sup> Baon de Vuarens, propter debatum quod habuit cum ipso teste, quod Anthonia filia eius infirmabatur nec infirma fuisse; deinde decessit ipsa filia; propter quod ipse et eius uxor habent malam suspicionem contra eundem inquisitum. Et pariter de Margarita eius quondam prima uxore, que decessit post eorum partagia et debata; propter quod etiam habent malam suspicionem contra eundem. Aliud nescit.

Petrus Jacaud<sup>6</sup> de Peres dicte parrochie Dompni Martini, etatis quinquaginta annorum vel circa, memorie vero triginta quinque, testis juratus, qui dixit de voce et fama, dixit quod a viginti quinque annis vel circa [1473] dici audivit quod erat hereticus. Et ulterius dixit quod sunt circa XII anni vel circa [1487]<sup>r</sup> quod ipse testis montavit decimam ipsius loci Dompni Martini super ipsum Franciscum Marguet inquisitum et Girardum dou For; et tunc ipse Franciscus dixit eidem testi: «*Vos montastis decimam super me et socium meum; ymo si vos michi noceatis, vos emendabitis*». / [p. 371] Et tunc decima remansit eidem testi, et incontinenti post mortua est eidem testi quedam vacha<sup>s</sup>, ex quo ipse testis ipsum Franciscum inquisitum habet suspectum. Item ulterius dixit quod sunt viginti quinque anni vel circa [1473] quod ipse Franciscus inquisitus et quidam Petrus Romanel habuerunt quoddam debatum ex in [...] dicti loci Dompni Martini; propter quod ipse Petrus Romanel dixit eidem inquisito: «*Vaude!*». Ex quo mota fuit differentia et lis inter eos Lausanne, coram dominis capituli. Deinde vidit in ecclesia Dompni Martini quod dictus Romanel dixit quadam die dominico dicto Marguet: «*Juz t'ay dit voudeis; juz ne scayt se tu l'es. Tel que tu est, je te layse que qui soit dudit, je te crie mersy*»<sup>8</sup>. Aliud nescit.

Item honestus vir Franciscus Jacaud castellanus Dompni Martini, etatis sexaginta annorum vel circa, memorie vero quadraginta, testis juratus etc, super predictis dixit et deposuit quod sunt circa viginti<sup>t</sup> quatuor aut quinque anni [1473] quod ipse Franciscus Marguet habuit nomen et famam essendi hereticus et <dupitabatur> de eo. Et quod audivit et vidit<sup>u</sup> sibi impropere dictum crimen a nonnullis; et presertim isto anno [1498]<sup>v</sup> in sui presencia, dictus Glaudius Marguet eius nepos, habendo verba <rigurosa>, sibi dixit quod erat hereticus. Item quod sunt circa viginti anni [1478] quod Petrus Romanel litigabat cum eodem Francisco in curia Dompni Martini, et in eodem loco in<sup>w</sup> / [p. 372] presencia omnium ibidem assistentium, dictus Petrus vocavit dictum Franciscum hereticum; qui hac de causa ambo fuerunt detenti Lausanne in carceribus et per dominos capituli liberati, cum concordio insimul facto. Et dum fuerunt reversi ad Dompnum Martinum, dictus Petrus Romanel dixit dicto Francisco coram

omni populo in ecclesia : « Francisce, ego dixi tibi heretice ; ego te reperi pravum et talem te dimicto. Sed tibi peto veniam ». Aliud nescit.

Item venerabilis dompnus Johannes Vuystonis cappellanus dicti loci, juratus testis, deponit quod a tempore quo stetit in parrochia predicta, audivit a pluribus dictum Franciscum esse diffamatum de dicto crimine, ut vidit et audivit in eius presencia dicti Francisci impropere crimen heresis, et quod erat hereticus, presertim per Glaudium Marguet eius nepotem a duobus annis citra [1496]. Aliud nescit.

De dicti domini viceinquisitoris precepto [Signature :] Andreas Thovacii [Seing/ signe notarial] / [p. 373]

### **Processus Francisci<sup>x</sup> Marguet de Dompno Martino**

[25 octobre 1498]

Anno Domini millesimo quatercentesimo nonagesimo octavo et die vicesima quinta mensis octobris [25.10.1498], Franciscus Marguet de Dompno Martino ad clamam Johannis Sugniens in crimine heresis fuit detentus in castro dicti loci ; et coram venerabili patre fratre Francisco Fossaudi ordinis Predicatorum conventus Lausannensis, viceinquisitore generali in civitatibus et dyocesibus Lausannensi, Gebennensi et Sedunensi auctoritate apostolica specialiter deputato, fuit adductus dictus Franciscus, omni vinculo carceris solutus, et per eundem viceinquisitorem interrogatus et adjuratus super sanctis Dei euvangeliis de veritate dicenda, presentando eidem misericordiam Ecclesie, casu quo vellet confiteri crimen<sup>y</sup> pro quo detinebatur.

Et primo fuit interrogatus si sciat causam sue detencionis. Dixit ad clamam Johannis Sugniens pro crimine heresis detinebatur.

Interrogatus si sit hereticus, respondit<sup>z</sup> quod non nec unquam fuit in aliquo crimine heresis.

Interrogatus<sup>aa</sup> qui capiuntur pro fide, respondit quod sunt heretici et [qui]<sup>ab</sup> dicuntur esse.

Interrogatus que opera faciunt heretici, dixit quod nescit. / [p. 374]

Interrogatus quare capiuntur heretici, respondit quia faciunt mala opera.

Interrogatus si credat esse paradisum et qui vadunt illuc, dixit quod credit et quod boni illuc vadunt.

Interrogatus si credat esse infernum, dixit quod sic. Item si credat esse demones, dixit quod sic, ex auditu.

Interrogatus si credat quod demones loquantur hominibus, dixit quod sic, ut audivit dici a nonnullis hereticis<sup>ac</sup> qui fuerunt plexi Melduni, sunt circa XL anni elapsi [1448].

Interrogatus si umquam demun fuerit sibi loquutus, respondit quod non.

Et ulterius non fuit interrogatus, sed per prefatum dominum viceinquisitorem fuit assignatus ad diem sequentem [26.10.1498] ad confitendum veritatem. Et

hoc pro prima monicione canonica, presentibus venerabili dompno Johanne Vuystonis cappellano vicario dicti loci Dompni Martini, Francisco Jacaud castelano dicti loci, Nycodo Billiar castellano de Essertines<sup>9</sup>, Johanne Sovajat gubernatore, et Petro Jacaud dicti loci, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

[26 octobre 1498]

Secunda monicio

Anno quo supra et die vicesima sexta dicti mensis octobris [26.10.1498], pre-nominatus Franciscus<sup>ad</sup> fuit / [p. 375] ad locum auditorii coram prefato domino viceinquisitore adductus, omni vinculo carceris solutus, per eundem dominum viceinquisitorem interrogatus si umquam de dicto crimine heresis in sua parrochia et apud suos vicinos fuerit diffamatus, respondit quod non.

Interrogatus si umquam fuerit sibi impropertum quod fuerit hereticus, dixit quod non, excepto quod sunt tres menses vel circa [juillet 1498] quod semel Glaudius Marguet eius nepos habuit debatum cum eo, et pervenerunt ad verba injuriosa, ecce quod dictus Glaudius impropertavit eidem quod ibat per nubes.

Interrogatus si fecerit unquam diligenciam se purgandi de dicta injuria sibi illata per dictum Glaudium, dixit quod non quia non poterat probare.

Interrogatus si fugerit unquam metu ne caperetur, dixit quod non.

Interrogatus si fecerit alicui dampnum vel displicitum, dixit quod sic, bestiis dampnifferrando.

Interrogatus si unquam litigaverit cum vicinis suis, dixit quod sic, cum pluribus, petendo jura sua vel deffendendo ; tamen nescit nunc cum quibus.

Interrogatus si racione litis, si alicui unquam fecerit dampnum, dixit quod non.

Interrogatus si unquam fuerit suspectus a vicinis suis de crimine heresis, dixit quod nescit.

Interrogatus si sciat si fuerint sumpte informaciones in parrochia sua super crimine heresis contra suspectos de dicto crimine, dixit quod nescit.

Interrogatus si sciverit dominos capituli Lausannensis, sunt, / [p. 376] tres ebdomade vel circa, in parrochia Dompni Martini, sumptis informaciones contra predictos et si ipsos viderit, dixit quod non. Tamen fuit convictus per Nycodum Billiar castellanum de Essertines, qui eidem Francisco coram inferius nominatis<sup>ae</sup> dixit ipsum fuisse apud Chardoney, fuit examinatus per eosdem dominos.

Interrogatus si fuerit unquam coram aliquo inquisitore vocatus seu citatus, dixit quod non.

Interrogatus si unquam frequentaverit cum aliquo suspecto de dicto crimine heresis, dixit quod non scit.

Interrogatus si unquam conversatus fuerit cum aliquo sortilego<sup>af</sup>, devinatore et invocatore, dixit quod non.

Interrogatus an aliquem minatus fuerit et post aliqua mala evenerint, tam in personis quam bonis, dixit quod non.

Interrogatus si unquam dederit aliqua munera vel convenerit ne caperetur de dicto crimine, dixit quod non. 5

Item si unquam dixerit alicui se velle confiteri dictum crimen vel si aliquis eum<sup>ag</sup> monuerit ad dictum crimen confitendum<sup>ah</sup>, dixit quod non.

Interrogatus an impetraverit<sup>ai</sup> aliquam provisionem ne caperetur, dixit quod non. 10

Et ulterius non fuit interrogatus, sed per prefatum dominum <inquisitorem> fuit remissus ad horam vesperorum. Et hoc pro secunda monicione canonica, presentibus quibus supra, excepto prefato domino Johanne vicario. / [p. 377]

[26 octobre 1498, plus tard]

Tercia monicio 15

Anno et die premissis [26.10.1498], fuit adductus Franciscus Marguet ut supra et per prefatum dominum viceinquisitorem fuit interrogatus.

Et primo qui capiuntur pro fide, dixit quod sunt heretici.

Interrogatus quare dicuntur heretici et que opera faciunt, dixit quod nescit, nisi quod faciunt mala, id est, vadunt per nubes cum tempestate et faciunt mori gentes<sup>aj</sup> et bestias arte dyabolica. 20

Interrogatus quem magistrum accipiunt heretici, dixit quod accipiunt dyabolum.

Item quid demun eis precipit fieri, dixit quod faciant tempestates et malum hominibus et bestiis; quo modo et qualiter<sup>ak</sup> faciunt, nescit. 25

Interrogatus si credat quod sit possibile quod heretici arte dyabolica possint nocere hominibus et bestiis, ipsis tradendo mortem, dixit quod non credit.

Interrogatus qua hora heretici vadunt ad sectam, dixit quod vadunt de nocte, ut dici audivit.

Interrogatus quid hic faciunt, nescit, ut dixit, nisi malum. 30

Iterum fuit interrogatus si unquam sibi fuerit impropertatum quod fuerit hereticus. Dixit quod non, nisi quod Glaudius Marguet eius nepos sibi dixerat quod ibat per nubes, et per dictum Glaudium in presencia subscriptorum fuit convictus; qui dixit eidem Francisco quod semel a tribus mensibus citra in quodam jurgio sibi dixit quod erat hereticus et quod ibat per nubes. / [p. 378] 35

Item fuit interrogatus si habeat aliquos malivolos in dicta parrochia Dompni Martini. Dixit quod non credit habere aliquos.

Interrogatus si aliquis fecerit clamam contra ipsum<sup>al</sup> de dicto crimine<sup>am</sup>, [dixit quod]<sup>an</sup> usque nunc per Johannem Sugniens.

Et ulterius non fuit interrogatus, sed remissus ad diem sequentem [27.10.1498]. Et hoc pro tertia monicione canonica, presentibus prefatis dompno Johanne Vuystonis cappellano et vicario dicti loci Dompni Martini, Francisco Jacaud castellano ipsius loci, Nycodo Billiar castellano de Essertines, Johanne Sovajat gubernatore, Petro Jacaud mistrali, Johanne Rolier, Glaudio Docent, 5 Petro Pillet, et Stephano Fauconet, testibus ad premissa vocatis et rogatis.

[27 octobre 1498]

Confessio dicti Francisci Marguet

Anno predicto et die vicesima septima mensis octobris [27.10.1498], predictus 10 Franciscus Marguet fuit adductus ut supra, et per prefatum dominum viceinquisitorem monitus et interrogatus de veritate dicenda super crimine heresis pro quo detinetur.

Quiquidem Franciscus confitetur se esse hereticum. Et sunt viginti anni proxime lapsi vel circa [1478] quod una die de die in Vallibus subtus castrum 15 Dompni Martini, ipse reperit quendam<sup>ao</sup> hominem vestitum nigro. Quiquidem alloquutus est dictum Franciscum, sibi dicendo: « Si velis negare Deum, virginem Mariam et Trinitatem, faciam te divitem, et quoti lune dabo tibi quinque solidos ». Et sibi intranavit quod erat demun, et nomen suum erat Moret. Et idem Franciscus ad vocem demonis negavit / [p. 379] Deum, virginem Mariam 20 et sanctam Trinitatem. Et immediate dictus demun se transtulit in speciem canis nigri, et ad vocem ipsius dictus Franciscus osculatus est sub cauda. Et dixit quod erat frigidus. In cuius homagii signum dictus demun cum dentibus strinxit sibi digitum, videlicet indicem manus destre.

negacio  
Dei

Interrogatus quid demun sibi dabat, respondit quod sibi dabat quoti lune 25 quinque solidos quos reperiebat super uno lapide retro domum suam. Et dum illos ponebat in sua bursa, nichil reperiebat.

Item confitetur quod demun sibi precepit ipso tunc quod in crastinum iret ad sectam, ad locum vocatum *En les Vaux* de Dompno Martino. Et ibidem ivit de nocte, hora bene tarda. Et ibidem reperit plures homines et mulieres. Et ibidem 30 erat ignis et candeles viridei et persei colloris. Et ibidem erat demun in specie hominis.

Interrogatus quid ibidem egit, dixit et confitetur quod comedit et bibit panem et carnes ac vinum cum ceteris hereticis.

Interrogatus que carnes erant, dixit quod erant carnes parvorum puerorum 35 et quod erant saporis dulcis.

Interrogatus ubi capiuntur<sup>ap</sup> corpora dictorum puerorum, respondit quod intrant domos et interficiunt illos prope matrem. Et dum sunt sepulti, heretici ipsi veniunt de sero ad cimisterium et extrahunt corpora a monumentis / [p. 380] et relinquunt <capud> propter sanctum crismia. Corpus vero portant ad synago-



gam. Et dum comederunt carnes, comburunt ossa et faciunt ex eisdem pulveres ad nocendum et necandum homines et animalia.

Interrogatus si fuerit in aliqua societate quod aliquem ceperint, <sup>aq</sup>-dixit quod sic<sup>aq</sup>, in domo Johannis Jacaud; iverunt quadam nocte ipse, Pernetus Jacaud, Ysabella de Peres<sup>10</sup>, Francesia Jacaud de Sugniens, Johannes Richar et eius uxor; et intravit dicta Ysabella per quandam fenestram domus predictae et ivit ad accipiendum unum parvum puerum juxta patrem et matrem; et tunc cum stringeret et teneret ipsum puerum per tybiam, tunc puer clamavit; et tunc puer exivit lectum, ac illi abierunt, et tunc non potuerunt habere illum; sed fuit dictus puer lesus vel oppressus in tybia, sed modo sanatus est.

Interrogatus quid ultra in dicta secta faciunt, respondit quod quisque reddit computum demoni de maleficiis per eosdem perpetratis. Deinde dictus demun transfiguratur in speciem canis, et ipsi obsculantur sub cauda. Deinde candele extinguuntur, et tunc homines habitant cum mulieribus modo sodomitico.

Interrogatus <ultrum> vadant ad pedes ad sectam, dixit quod demun sibi dedit et ceteris unum parvum baculum et haulobostra duo repleta / [p. 381] unguentis, de quo unguento unguunt ipsum baculum et ascendunt desuper, dum illuc volunt ire, dicendo: «Vade, ex parte dyaboli, vade!». Et illuc sunt in secta.

Interrogatus quid demun eisdem precipit, respondit quod faciant omnia mala que facere poterunt hominibus et bestiis. Et dat ipsis halabastrum in quo est unguentum, et pulveres pro interficiendo homines et bestias, et etiam ad infirmitates dandum.

Interrogatus quibus dedit de dicto unguento, respondit quod semel habuit debatum isto anno [1498] cum Magan et, bibentes simul in domo vicarii dicte parrochie, dictus Franciscus tenebat unguentum subtus ungulam pollicis, et tetigit vinum vitri in quo bibit dictus Magan; qui inmediate fuit valde infirmus in stomacho et, vomendo acriter, projecit dictum venenum extra corpus.

Item dixit et fatetur quod ad vocem demonis fecit crucem in terra et, in despectu Dei, calcavit eam pedibus. Et dum accipiebat aquam benedictam, non proiciebat in vultu, sed retro.

Item confitetur quod demun ipsis precipit quod quando recipiunt sacrum corpus Domini, quod reservent in ore; deinde quod apportent illud ad sectam. Et quod sunt tres anni vel circa [1496] quod Pernetus Jacaud semel in festo Pasche recepit sacrum corpus Christi; deinde apportavit quadam die ipsum corpus Christi ad sectam quam tenebant in / [p. 382] Valibus Dompni Martini. Et illud posuerunt in patella ad fricandum, et dictum corpus exivit patellam et evanuit ab oculis eorum.

Interrogatus in quibus sectis fuit, dixit quod in duabus, scilicet in dictis Valibus et in furno Johannis Jacaud.

Interrogatus de suis complicibus, respondit quod vidit in dictis sectis et realiter cognovit sepeissime Pernetum Jacaud, Johannem Richar et eius uxorem,

Ysabellam de Peres, et Francesiam Jacaud de Sugniens, agentes honorem et reverenciam facientes demoni, ipsum in posterioribus sui fetidi corporis obscurando.

5 Interrogatus si fuerit diu quod non fuit in secta, dixit quod est mensis vel circa [septembre 1498].

Interrogatus in quo loco fuit ultimate, respondit quod in furno dicti Johannis Jacaud, et ibidem erant dicti sui complices.

10 Et juravit super sancta Dei euvangelia in manibus dicti domini viceinquisitoris premissa omnia superius per ipsum confessata fore vera. Et ultra non fuit interrogatus, sed remissus ad dietim<sup>11</sup> per prefatum dominum viceinquisitorem, presentibus venerabili domino Johanne Vuystonis cappellano vicario dicti loci, Francisco Jacaud castellano loci predicti Dompni Martini, et Nycodo Billiar castellano de Essertines, testibus ad premissa vocatis et rogatis.

[5 novembre 1498]

15 Alia repeticio

Anno predicto et die quinta<sup>ar</sup> mensis / [p. 383] novembris [05.11.1498], predictus Franciscus Marguet fuit interrogatus per prefatum dominum viceinquisitorem an omnia superius per ipsum confessata essent vera. Qui Franciscus juravit ut supra fore vera.

20 Interrogatus si unquam in confessione sacramentali confessus fuerit dictum crimen heresis, respondit quod non ; sed in illo peccato quoti Pascate recepit sacrum corpus Domini.

Interrogatus si dederit mortem vel infirmitatem alicui, dixit quod non, preter ut supra in domo Johannis Jacaud.

25 Interrogatus quo modo habebat animum necandi homines et bestias, dixit quod demun ipsum verberabat, dum defficiebat ipsius preceptis, et dabat mercedem huic qui majora commictebat homicidia : uni dabat xxx solidos, alteri XL, secundum majus et minus.

complices

30 Interrogatus de complicitibus et sectis, dixit se vidisse realiter et cognovisse in vultu et loquela in predictis sectis supradictos, scilicet Ysabellam de Peres, Johannem Richar et eius uxorem, Pernetum Jacaud et Francesiam Jacaut de Sugniens, agentes et facientes ut supra.

35 Et ultra non fuit interrogatus, sed remissus ad diem sequentem [06.11.1498], presentibus venerabili et circumspecto viro domino Laurencio Curvillionis et Johanne Moneti clerico eiusdem domini Laurencii famulo, testibus ad hec vocatis et rogatis. / [p. 384]

[6 novembre 1498]

Alia repeticio

Anno quo supra et die sexta dicti mensis novembris [06.11.1498], Franciscus Marguet per prefatum dominum viceinquisitorem fuit iterum<sup>as</sup> interrogatus quo modo et quo nomine vocant beatissimam virginem Mariam ipsi heretici. Respondit quod, ad vocem demonis et preceptum, vocant illam *Rossaz*.

complices

Interrogatus de suis complicitibus, dixit ut supra. Et ultra predictos, dixit et confitetur vidisse et realiter cognovisse sepe in predictis sectis in vultu et loquela, scilicet Margaretam uxorem Johannis Diserens de Peres, Girardum de Madalena de Pullie Pictet, Glaudium Audriar *le Magnyn* de Boctent, et Johannem Pillet de Sancto Ciriaco, ac Petrum Menestrey seniore de Pullie *luz Grant*, comedentes et bibentes in dictis sectis, honorem et reverenciam demoni eorum magistro necnon homagium facientes et ceteros actus ibidem fieri solitos.

homicidium

Interrogatus super maleficiis, confitetur quod sunt tres<sup>at</sup> [1495] aut quatuor anni vel circa [1494] quod ipse dictus inquisitus, Pernetus Jacaud et Ysabella Perat fecerunt cadere Petrum Vincent de Dompno Martino a quadam arbore pirus existente in villa Dompni Martini, prope / [p. 385] domum ipsius Petri, arte demonis ; qui Petrus mortuus fuit.

homicidium

Item confitetur fuisse quodam semel in quodam nemore *En laz Sollaz*, loco vocato *Laz Sollaz* ; et ibidem erat pater dicti Petri Vincent qui cindebat nemora. Unde ipse inquisitus, Pernetus Jacaud et Ysabella Perat arte dyabolica eidem dederunt infirmitatem de qua mortuus est, licet steterit pro quindecim dies vel circa languens.

Item confitetur una nocte intrasse domum Glaudii Marguet nepotis sui, et extrinxit manibus quandam ipsius Glaudii parvam filiam *ou bris*, sic quod post quindecim dies vel circa [octobre 1498] decessit. Et ipsa filia sepulta in cimisterio Dompni Martini, ipse inquisitus et Pernetus Jacaud exumaverunt a sepultura, relinquentes <capud> propter sanctum crisma ; residuum vero importaverunt ad sectam et fecerunt ut supra dictum est.

Item confitetur quod Pernetus Jacaud, prout<sup>au</sup> ab ore dicti Perneti audivit, dum reddebat computum de maleficiis suis, dedisse infirmitatem Allesie uxori Petri filii Francisci Jacaud, quam adhuc de presenti patitur.

Et ultra non fuit interrogatus, sed per prefatum dominum viceinquisitorem fuit remissus ad horam vesperorum, ad se readvisandum, presentibus venerabili et circumspecto viro domino Laurencio Curvillionis canonico Lausannensi et cellerario capituli Lausannensis, dompno Johanne Vuystonis vicario dicti loci Dompni Martini, et Francisco Jacaud castellano ipsius loci, testibus ad premissa vocatis et rogatis. / [p. 386]

[6 novembre 1498, plus tard]

Alia repetitio cum conclusione processus

Anno et die quibus supra [06.11.1498], supradictus Franciscus Marguet hora vesperorum per prefatum dominum viceinquirem fuit iterum interrogatus  
5 super maleficiis per eum perpetratis. Dixit et respondit alia nescire preter illa que superius dixit et confessus fuit.

Iterum interrogatus super complicitibus suis, dixit vidisse et realiter cognovisse in sectis supradictis sepe supradictos, scilicet Ysabellam de Peres, Peronem Jacaud, Johannem Richar et eius uxorem, Francesiam Jacaud de Sugniens,  
10 Johannem filium dicti Johannis Richar, quem vidit una vice in supradictis sectis et non plus, quia non est diu quod fuit hereticus, Girardum de *laz Madellenaz* de Pollie Pictet, Glaudium Adriar *le Magnyn* de Boctent, Petrum Menestrey seniore de Pollie *luz Grant*, et Margaretam uxorem Johannis Diserens, et Johannem Pillet de Sancto Ciriaco, agentes honorem et reverenciam, ut supra dictum est.

15 Et aliud dixit se nescire, sed juravit in manibus prefati domini viceinquirem super sanctis Dei euvangeliis omnia per ipsum superius confessata fore vera, et ea vult manutenere coram omnibus.

Tunc prefatus dominus viceinquirem dixit prefato confitenti si vellet conclusionem fieri super dicto suo processu, et finem imponere. Qui dictus Franciscus  
20 Marguet prefatum dominum viceinquirem / [p. 387] rogavit ut concluderet<sup>av</sup> et finem imponeret dicto eius processui, se submictens de non veniendo in contrarium, renunciando juribus, etc.

Illico comparuit venerandus procurator fidei sacre coram dicto viceinquirem, petens concludi dictum processus et conclusionem fieri. Et tunc prefatus  
25 dominus viceinquirem conclusit et finem imposuit, presentibus venerabili et circumspecto viro domino Laurencio Curvillionis canonico Lausannensi et celerario venerabilis capituli Lausannensis, necnon Francisco Jacaud castellano dicti loci Dompni Martini, Petro Pillet alias Grant, Johanne Sovajat gubernatore ipsius loci, Girardo dou For, Petro Silvestri, et Glaudio Vincent, testibus ad  
30 premissa vocatis et rogatis.<sup>12</sup>

De prefati domini viceinquirem precepto

[Signature :] Andreas Thovacii [Seing/signe notarial] / [p. 388] / [p. 389] / [p. 390]  
/ [p. 391] / [p. 392] / [p. 393] / [p. 394] / [p. 395] / [p. 396]

<sup>aw-13</sup>Processus Dompni Martini.

35 Processus contra Franciscum Marguet super crimine heresis.

Registratus.

Ponantur<sup>14</sup> cum litteris Dompni Martini, 1498.<sup>-aw</sup>

**Original:** ACV, Ac 29, p. 365–396; Papier.

**Édition:** Pfister 1997, p. 186–217.

**Littérature :** Félix 1986 ; Reymond 1909, p. 91–93 ; Kieckhefer 1976, p. 33, 147 ; Blauert 1989, p. 87–97 ; Ostorero 1995, p. 40, 98 ; Pfister 1997, p. 37–65 ; Ostorero 2005, p. 368 ; Utz Tremp 2005c, p. 361–362 ; Ostorero et al. 2007, p. 281–292 ; Ostorero 2010, p. 20, 24–26 ; Pittet 2010, p. 209, 217, 219–220 ; Ostorero et al. 2011, p. 47, 75 ; Ammann-Doubliez et al. 2014, p. 170–173 ; Ostorero 2015, p. 277.

a	<i>Suppression par biffage :</i> r.	5
b	<i>Corrigé de :</i> e.	
c	<i>Correction à la hauteur de la ligne, remplace :</i> comniter.	
d	<i>Corrigé de :</i> quidam homo.	
e	<i>Suppression par biffage :</i> T.	
f	<i>Correction à la hauteur de la ligne, remplace :</i> uxor.	10
g	<i>Suppression par biffage :</i> a tempore quo stetit.	
h	<i>Corrigé de :</i> adduxerunt.	
i	<i>Suppression par biffage :</i> et recedendo.	
j	<i>Corrigé de :</i> habentes.	
k	<i>Suppression par biffage :</i> eius.	15
l	<i>Correction à la hauteur de la ligne, remplace :</i> tesis.	
m	<i>Correction à la hauteur de la ligne, remplace :</i> tesis.	
n	<i>Correction à la hauteur de la ligne, remplace :</i> maliciosa.	
o	<i>Omission, complété(e) par analogie.</i>	
p	<i>Correction à la hauteur de la ligne, remplace :</i> faceba[nt].	20
q	<i>Corrigé de :</i> Glaudio Glaudio.	
r	<i>Corrigé de :</i> quod eo.	
s	<i>Suppression par biffage :</i> quedam.	
t	<i>Suppression par biffage :</i> aut.	
u	<i>Correction à la hauteur de la ligne, remplace :</i> dixit.	25
v	<i>Corrigé de :</i> isto anno.	
w	<i>Suppression par biffage :</i> presentibus.	
x	<i>Suppression par biffage :</i> Marguet.	
y	<i>Suppression par biffage :</i> heresis.	
z	<i>Corrigé de :</i> respondet.	30
aa	<i>Suppression par biffage :</i> si.	
ab	<i>Omission, complété(e) par analogie.</i>	
ac	<i>Corrigé de :</i> heretici.	
ad	<i>Suppression par biffage :</i> Mar.	
ae	<i>Corrigé de :</i> nominatos.	35
af	<i>Corrigé de :</i> sortilegio.	
ag	<i>Suppression par biffage :</i> memorie.	
ah	<i>Corrigé de :</i> confitendi.	
ai	<i>Correction à la hauteur de la ligne, remplace :</i> interrogaverit.	
aj	<i>Suppression par biffage :</i> arte.	40
ak	<i>Correction à la hauteur de la ligne, remplace :</i> quibus.	
al	<i>Corrigé de :</i> eundem.	
am	<i>Suppression par biffage :</i> h.	
an	<i>Omission, complété(e) par analogie.</i>	
ao	<i>Correction à la hauteur de la ligne, remplace :</i> quem.	45
ap	<i>Correction par-dessus, remplace :</i> capiutur.	
aq	<i>Ajout entre les lignes.</i>	
ar	<i>Corrigé de :</i> quindecima.	
as	<i>Corrigé de :</i> interim.	
at	<i>Suppression par biffage :</i> anni.	50

au *Corrigé de* : in sua.

av *Suppression par biffage* : se submictens.

aw *Ajout en haut à droite par main secondaire (B)*.

- 1 *Dans son procès-verbal, le notaire utilise tantôt le présent, tantôt le parfait comme temps de réfé-*  
5 *rence du procès, sans aucune cohérence, témoignant ainsi de sa difficulté à se situer par rapport au*  
*moment du procès : fait-il un rapport simultané ou a posteriori ?*
- 2 *C'est-à-dire* : François Marguet, je t'ai dit « vaudois » ; je ne sais pas si tu l'es. Quoi qu'il en soit,  
j'implore ton pardon !
- 3 *Lieu-dit, situé sous l'église de Dommartin qui est un lieu de réunion récurrent dans les procès de*  
10 *1498.*
- 4 *C'est-à-dire* : Mauvais hérétique !
- 5 *C'est-à-dire* : Vous me prenez mon bien, hérétique !
- 6 *Il s'agit vraisemblablement de Pierre Jacaud senior, frère de François Jacaud (et non du fils de ce*  
*dernier), étant donné l'âge indiqué ici.*
- 15 7 *L'original contient un espace blanc, qui devait indiquer un lieu précis.*
- 8 *C'est-à-dire* : Je t'ai dit « vaudois » ; je ne sais pas si tu l'es. Tel que tu es, je t'ai lésé par ce qui a  
été dit ; j'implore ton pardon.
- 9 *Essertines-sur-Yverdon est une possession du Chapitre de Lausanne.*
- 10 *Il s'agit vraisemblablement d'Isabelle Perat, de Peyres, dont le procès a été conservé (SDS VD D/1*  
20 *22 : ACV, Ac 29, p. 399–414).*
- 11 *Le procès-verbal ne reprend que le 5 novembre 1498.*
- 12 *La sentence de bannissement contre Isabelle Perat et François Marguet est rendue le 14 novembre*  
*1498 par Laurent Curvillion. Elle est conservée aux Archives de l'Etat de Neuchâtel (AEN, Archives*  
*anciennes, AS-E24.3, éditée par Morerod dans Ostorero 2007, p. 489–492 et analysé p. 481–487)*
- 25 13 *L'indication qui suit est d'une autre main, probablement plus tardive, masquée par une réparation*  
*de la page. Sur cette mention Ostorero et al. 2007, p. 33.*
- 14 *Voir la lettre testimoniale qui a été insérée dans le registre Ac 29 à l'époque moderne et qui suit le*  
*cahier du procès SDS VD D/1 25 : ACV, Ac 29, p. 397–398.*